

Abentura passiva sunt 6 ^{vapula} ^{vapula} ^{vapula} ^{vapula} ^{vapula} ^{vapula}
multa vobis circa huc tanquam activa promitt
tiantur sed si significans passivam significatio
et constanter more passivam

Paulus sylvester

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

A 78

DE CIVILI

2

TATE MORVM PVERILI,
um per DES. ERASMVRO

TERODAMVM libellus nunc

primum & conditus &

æditus.

LYPSIAE, ANNO
M. D. XXX.

Johannes de Lange

*Hæc modis in rebus sunt æditi &
Scripsit Johannes
Quos vna rursus in quodam compendio
æditus*



DR. CIVILLI

DATE NOV. 17. 1711

IN PRAES. R. ASS. V. M. R. O.

TERO. DAM. V. M. L. B. P. R. O. B. A. T. I. O. N. E.

PRIMUM & SECUNDUM

DE

DE

DE

DE

DE

DE

DE

DE

DE

DE

DE

DE

DE

DE

DE



ERASMVVS

ROTERODAMVS GENE

roso cum primis & optimæ spei puero

ADOLPH, principis Ve-

riani filio S.



Ster maximum illum Paulum non piguit omnia fieri omnibus, quo prodesse posset omnibus, quanto minus ego grauari debeo iuuandæ iuuetutis amore subinde repuerascere. Itaq; quemadmodum pridem ad MAXIMILIANI fratris tui primam adolescentiam memet accommodaui, dum adulescentulorum formo linguam; ita nunc me ad tuam attempo pueritiam de puerorum moribus præcepturus; non quod tu hisce præscriptis magnopere egeas, primum ab incunabilis inter aulicos educatus, mox nactus tam inlignem formandæ rudis ætatis artificem; aut quod omnia quæ præscribemus ad te perti-

Aa 2 neant,

*De quo vide
erasmum in
prover.*

*Arguuntur
a maiore ad minus*

*vide v. 1. in
p. 10*

4 DE CIVILITATE

neant, & è principibus & principatui nati:

Ac immo dicitur a maiore. ^{p. v. d. v. d. v. d.} sed vt libentius hæc ediscant omnes pueri,

quod amplissimæ fortunæ, summæq; spei puero dicata sint. Nec enim mediocre calcar addet vniuersæ publi, si conspexerint he

roum liberos à primis statim annis dicari studijs, & in eodem cum ipsis stadio currere.

Munus autem formandi pueritiam multis constat partibus, quarum sicuti prima ita præcipua est, ut tenellus animus imbibat pietatis seminaria; proxima ut liberales disciplinas & amet, & perdiscat; tertia est, ut ad uitæ officia instruatur; quarta est, ut à primis statim æui rudimentis ciuilitati morum assuescat. Hanc postremam nunc mihi proprie sumpsi. Nam de superioribus quum alijs complures, tum nos quoq; permulta scripsimus. Quanquam autem externum illud corporis decorum ab animo bene composito proficiscitur, tamen incuria præceptorum nonnunquam fieri uidemus, ut hanc interim gratiam in probis & eruditis hominibus

MORVM PVERILIVM. 5

nibus desideremus. Nec inficior hanc esse
crassissimam philosophiæ partem, sed ea, ut
sunt hodie mortalium iudicia, plurimū con-
ducit & ad conciliandam benevolentiam,
& ad præclaras illas animi dotes oculis ho-
minum commendandas. Decet autem ut
homo totus sit compositus animo, corpore,
gestibus, ac uestitu, sed in primis pueros de-
cet omnis modestia, & in his præcipue no-
biles. ~~Pro nobilibus autem habendi sunt~~
omnes, qui studijs liberalibus excolunt ani-
mum. Pingant alij in clypeis suis leones, a-
quilas, tauros, & leopardos, plus habent ueræ
nobilitatis, qui pro insignibus suis tot pos-
sunt imagines depingere, quot perdidice-
runt artes liberales.

Vt ergo bene compositus pueri animus
undiq; reluceat, relucet autem potissimum
in uultu, sint oculi placidi, uerecundi, com-
positi, non torui, quod est truculentia, non
improbi, quod est impudentia, non uagi ac
uolubiles, quod est infania, non limi, quod
est suspiciosorum & insidias molientium,

Aa 3 nec

*nobilitatem de
strivario.*

*hic omni-
quidam de lob-
compositio*

6 DE CIVILITATE

nec immodice diducti, quod est stolidorum, nec subinde coniuventibus genis ac palpebris, quod est inconstantium, nec stupentes, quod est attonitorum, id in Socrate notatum, nec nimium acres, quod est iracundiæ signum, non innuentes ac loquaces quod est impudiciæ signum, sed animum ^{quidam} sedatum ac reuerenter amicum præ se ferentes. Nec enim ^{frustra} temere dictum est à ^{ueteribus} prisca sapientibus, animi sedem esse in oculis. Picturæ quidem ueteres nobis ^{ostendunt} loquuntur, olim singularis cuiusdam modestiæ fuisse, semiclusis oculis obtueri, quemadmodum apud Hispanos quosdam, semipetos intueri blandum haberi uidetur & amicum. Itidem ex ^{ueteribus} picturis discimus, olim contractis strictisq; labijs esse, probitatis fuisse argumentum. Sed quod suapte natura decorum est, apud omnes decorum ^{sympliciter} habebitur. Quamquam in his quoq; decet interdum nos fieri polypos, & ad regionis morē nosmet ^{attem}perare. Iam sunt quidam oculorum habitus, quos alijs alios addit natura, qui nō ^{cas}dunt

MORVM PVERILIVM. 7

dunt sub nostras præceptiones, nisi quod in
cōpositi ^{masse} gestus non raro uiciant, non solum
oculorum, uerum etiam totius corporis ha
bitum ac ^{profectu in diuina} formam. Contra compositi, quod
natura ^{multiflorum} decorū est, reddunt ^{opulenta ornata} decentius: quod
uiciosum est, si non tollunt, certe tegunt mi
nuuntq̃. Indecorum est clauso oculorum al
tero quenquam obtueri. Quid enim hoc
aliud est, quàm seipsum eluscare? Eum ge
stum thynnus ac fabris relinquamus.

Sint exporrecta supercilia, non adducta,
quod est toruitatis: non sublata in altum,
quod est arrogantiae: non in oculos depre
sa, quod est male cogitantium.

Frons item hilaris & explanata, mentem
sibi bene cōsciam, & ingenium liberale præ
se ferens, non in rugas contracta, quod est
senij: non mobilis, quod est ^{ful}erinaciorum:
non torua, quod est taurorum.

A naribus absit mucoris purulētia, quod
est sordidorum. Id uicium Socrati philoso
pho datum est probro. Pileo aut ueste
emūgi rusticanum, brachio cubitōue falsa

§ DE CIVILITATE

De Jure Naturae
mentariorum, nec multo civilius id manū
fieri, si mox ^{De Jure} pituitam uesti illinas. Strophis
olis excipere narium recremēta decorum,
idēq; paulisper auerso corpore, si qui adsint
honoratiores. Si quid in solum deiectum
est emuncto duobus digitis naso, mox pe-
de proterendum est. Indecorum est subins-
de cum sonitu spirare naribus, ^{De Jure} bilis id indi-
cium est. Turpius etiam ducere ^{De Jure} ronchos,
quod est furiosorum, si modo fiat usu. Nam
spiritosis qui laborant orthopnoea, danda
est uenia. Ridiculum naribus uocem emit-
tere, nam id cornicinum est & elephantor-
um. ^{De Jure} Crispare ^{De Jure} narium, irrisorum est & san-
nionum. Si alijs praesentibus incidat sternu-
tatio, ciuile est corpus auertere. Mox ubi se-
remiserit impetus, signare os crucis imagi-
ne, dein sublato pileo resalutatis qui uel sa-
lutarunt, uel salutare debuerant: nam ster-
nutatio quemadmodum oscitatio sensum
aurium prorsus aufert: precari ueniam, aut
agere gratias. Alterum in sternutamento sa-
lutare religiosum, & si plures adsint natu-
maiores

MORVM PVERILIVM. 9

maiores qui salutent uirum aut foeminam honorabilem, pueri est aperire caput. Porro uocis ^{alisy} tinnitum studio intendere, aut data opera sternutamentum iterare, nimirum ad uirium ostentationem, nugonum est. Repri mere sonitum, quē natura fert, ineptorum est, qui plus tribuunt ciuilitati quam saluti.

Malas tingat natiuus & ingenuus pudor, non fucus aut ascititius color. Quamquam is quoque sic temperandus est, ut nec uertatur in improbitatem, nec adducat stuporem, & quartum, ut habet proterbium, infaniae gradum. Quibusdam enim hic affectus tam impotens insitus est, ut reddat deliranti simillimum. Temperatur hoc malum, si puer inter maiores assuescat uiuere, & comoedijs agendis exerceatur. Inflare buccas ^{ouy} fastus indicium est, eadem demittere, est animum despondentis; alterum est Thrasonis, alterum Iudae proditoris.

Os nec prematur, quod est metuentis alterius halitum haurire, nec hiet, quod est ^{ruoy} morionum, sed leniter osculantibus se mu-

Aa 5 tuo

*Pouglungfo Affizij
Cijm Canuclis*

10 DE CIVILITATE

Filohyus uel Zingus d. Cyprius

tuo labris coniunctum sit. Minus etiam decorum est subinde porrectis labijs uelut poppysmum facere, quanquam id magnatibus adultis per mediam turbam incedentibus condonandum est, illos enim decent omnia, nos puerum formamus.

Si fors urgeat oscitatio, nec datur auerti aut cedere, strophio uolauae tegatur os, mox imagine crucis obsignetur. Omnibus dictis aut factis arridere stultorum est, nullis arridere stupidorum. Obscoene dictis aut factis arridere nequicia est.

*sonitus est compul-
satione instrumentorum*

Cachinnus & immodicus ille totum corpus quatiens risus, quem ob id Graeci *συκροῦσιον* appellant, nulli decorus est aetati, nedum pueritiae. Dedecet autem quod quidam ridentes hinnitum aedunt. Indecorus & ille qui oris rictum late diducit corrugatis buccis, ac nudatis dentibus, qui caninus est & Sardonius dicitur. Sic autem uultus hilaritatem exprimat, ut nec oris habitum dehonestet, nec animum dissolutum arguat. Stultorum illae uoces sunt, risu diffluo,

οὐβουλία

fluo,

MORVM PVERILIVM. 11

fluo, risu dissilio, risu emori or: & si qua res
adeo ridicula inciderit, ut nolentibus eius-
modi risum exprimat, mappa manuū te-
genda facies. Solum aut nullam euidentem
ob causam ridere, uel stultitiæ tribuitur, uel
infantiæ. Si quid tamen eiusmodi fuerit ob-
ortum, ciuilitatis erit alijs aperire risus cau-
sam, aut si non putes proferendam, cōmen-
ticiū aliquid afferre, ne quis se derideri
suspicietur. Superioribus dentibus labrum
inferius premere, inurbanum est, hic enim
est minantis gestus, quemadmodum & in-
ferioribus mordere superius. Quin & la-
brorum oras lingua circumuoluta subinde
lambere ineptum: porrectioribus esse la-
bris, & uelut ad osculum compositis, olim
apud Germanos fuisse blandum indicant
illorum picturæ: porrecta lingua deridere
quenquam scurrile est. Auersus expuito,
ne quem cōspuas aspergasue. Si quid puru-
lentiū in terrā reiectum erit, pede, ut dixi,
proteratur, ne cui nauicam moueat. Id si
nō licet, linteolo sputū excipito. Resorbere
saluam

*Quintus**us dicitur - us in*

saluam inurbanum est, quemadmodum quosdam uidemus non ex necessitate, sed ex usu ad tertium quodque uerbum expuere. Quidam indecore subtussunt identidem inter loquendum, idque non ex necessitate, sed ex more: is gestus est mentientium, & inter dicendum quid dicant comminiscientium. Alij minus etiam decore ad tertium quodque uerbum eructant, quæ res si à teneris annis abierit in consuetudinem, hæret etiam in grandiore ætate. Idem sentiendum de ^{inimicis} scæratu, quibus nominibus à seruo notatur Terentianus Clitipho. Si tussis urgeat, caue ne cui in os tussias, & absit ineptia clarius tussendi, quam natura postulet. Vomiturus secede, nam vomere turpe non est, sed ingluuie uomitum ^{Carce} accersisse deforme est. Dentium mundicies curanda est, uerum eos puluisculo candidare puellarum est, sale aut alumine defricare, ^{infortis} gingiuæ perniciosum, idem lotio facere Iberorum est. Si quid inhæsit dentibus, non cultello, non unguibus, canum feliumue more, non mantili

MORVM PVERILIVM. 13

^{omni}mantili eximendum est, sed uel lentisci ^{zofus/infus.} cus-
spide, uel penna, uel ossiculis è gallorum aut
gallarum tibijs detractis. Os mane pura
aqua proluere, & urbanum est & salubre,
subinde id facere ineptum. De linguæ usu
suo dicemus loco. Rusticanum est impexo
esse capite, adsit mundicies, non nitor puel-
laris. Absint ^{nihil} fordes lendium & uermiculo-
rum. Subinde scabere caput apud alios, pa-
rum decet: quemadmodum unguibus reli-
quum fricare corpus sordidum est, præser-
tim si fiat usu, non necessitate. Coma nec
frontem tegat, nec humeris inuolitet. Sub-
inde concusso capite discutere capillitium,
lasciuientium est equorū. Cæsariem à fron-
te in uerticem leua retorquere, parum ele-
gans est, manu discriminare modestius. In-
flectere ceruicem & adducere scapulas pi-
gritiam arguit, resupinare corpus fastus in-
diciū est, molliter erectum decet. Ceruix
nec in leuum, nec in dextrum uergat, hypo-
criticum enim, nisi colloquium aut aliud si-
mile postulet. Humeros oportet æquo li-
bramine

*quid uinlingua
id. di. fulbun fur.
u. l. i. u. g. u.*

quid l. u.

14 DE CIVILITATE

Dangul, Duriga.

bramine temperare, non in morem antena
 narum alterum attollere, alterum deprime
 re. Nam huiusmodi gestus in pueris negle
 cti, uertuntur in naturam, & corporis habi
 tum præter naturam deformant. Itaq; qui
 præ desidia collegerunt consuetudinem in
 flectendi corpus, sibi gibbum conciliant,
 quem natura non dederat; & qui deflex
 um in latus caput habere consueuerunt,
 in eum habitum indurescunt, ut adulti fru
 stra mutare nitantur. Siquidem tenera cor
 puscula plantulis similia sunt, quæ in quam
 cunq; speciem furca funiculoue deflexeris,
 ita crescunt & indurescunt. Vtrunq; bra
 chium in tergum retorquere, simul & pigri
 tiæ speciem habet & furis; neq; multo des
 centius est altera manu in ilia iniecta astare
 sederæue, quod tamen quibusdam elegans
 ac militare uidetur. At non statim hones
 tum est quod stultis placuit, sed quod na
 turæ & rationi consentaneum est. Reliqua
 dicentur quum ad colloquium, & conuiu
 um uentum erit. Membra quibus natura
 pudorem

MORVM PVERILIVM. 15

puerum pudorem addidit retegere citra necessitatem procul abesse debet ab indole liberali. Quin ubi, necessitas huc cogit, tamen id quoque decente uerecundia faciendum est, etiam si nemo testis adsit. Nunquam enim non adsunt angeli, quibus in pueris gratissimus est pudicitiae comes custosque pudor. Quorum autem conspectum oculis subducere pudicum est, ea multo minus oportet alieno praebere contactui. Lotium ^{urium} remorari ualetudini perniciosum, secretò reddere uerecundum. Sunt qui praecipiant ut puer compressis natibus uentris flatum retineat. Atqui ciuile non est, dum urbanus uideri studes morbum accersere. Si licet secedere, solus id faciat. Sin minus, iuxta uetustissimum prouerbium, Tussi crepitum dissimulet. Alioqui quur non eadem opera praecipiant ne aluum deiciant, quum remorari flatum periculosius sit quam aluum stringere. Diductis genibus sedere aut diuaricatis tibijs distortisue stare, Thrasonum est. Sedenti coeant genua, stanti pedes, aut certe modice

16 DE CIVILITATE

modice diducantur. Quidam hoc gestu sedent, ut alteram tibiam altero genu suspendant, nonnulli stant decussatim compositis tibijs, quorum alterum est anxiorum, alterum ineptorum. Dextro pede in læuum femur iniecto sedere priscorum regum mos est, sed improbatus. Apud Italos quidam honoris gratia pedem alterum altero premunt, unius propemodum insistent tibiæ ciconiarum ritu, quod an pueros deceat nescio. Itidem in flectendis genibus aliud apud alios decet dedecetue. Quidam utrunque pariter inflectunt, idque rursus alij recto corpore, alij nonnihil incuruato. Sunt qui hoc ceu muliebri rati, similiter erecto corpore primum dextrum incuruant genu, mox sinisterum, quod apud Britannos in adolescentibus laudi datur. Galli modulato corporis circumactu dextrum duntaxat inflectunt. In his in quibus uarietas nihil habet cum honesto pugnans, liberum erit uel uernaculis uti moribus, uel alienis obsequundare, quando sunt quos magis capiāt peregrina.

Incessus

MORVM PVERILIVM. 17

Incessus nec fractus sit, nec præceps, quorum alterum est mollium, alterum furiosorum, nec vacillans. Nam ineptam in incessu subclaudicationem Suiceris militibus relinquamus, & ijs qui magnum ornamentum ducunt, in pileo gestare plumas. Tametsi uidimus episcopos hoc gestu sibi placere. Sedentem pedibus ludere stultorum est, quemadmodum & manibus gesticulari, parum integræ mentis indicium est.

DE CVLTV.

In summa dictum est de corpore, nunc de cultu paucis, eò quod uestis quodammodo corporis corpus est, & ex hac quoque liceat habitum animi conijcere. Quanquam hic certus præscribi modus non potest, eò quod non omnium par est uel fortuna, uel dignitas, nec apud omnes nationes eadem decora sunt aut indecora, postremo nec omnibus seculis eadem placet displicentia. Vnde quemadmodum in alijs multis, ita

Bb hic

hic quoque nonnihil tribuendum est, iuxta
 prouerbum, *ὅτι μὴ καὶ χάρις*, atque etiam καὶ ἰσο
 cui seruire iubent sapientes. Est tamen in
 hisce uarietatibus, quod per se sit honestum
 aut secus, uelut illa quæ nullū habent usum,
 cui paratur uestis. Prolixas trahere caudas
 in foeminis ridetur, in uiris improbatur, an
 Cardinales & Episcopos deceat alijs æsti-
 mandum relinquo. Mulctitia nunquam
 non probro data sunt tum uiris, tum foemi-
 nis, quandoquidem hic est alter uestis usus,
 ut ea tegat quæ impudice ostenduntur ocu-
 lis hominum. Olim habebatur parum uiri-
 le, discinctum esse, nunc idem nemini uicio
 uertitur, quod indusijs, subuculis, & caligis
 repertis tegantur pudenda, etiam si diffi-
 tunica. Alioqui uestis breuior quàm ut in-
 clinanti tegat partes quibus debetur ho-
 nos, nusquam non inhonesta est. Dissecare
 uestem amentium est, picturatis ac uersico-
 loribus uti, morionum est ac simiorum. Er-
 go pro modo facultatum ac dignitatis,
 proque regione & more adsit cultui mundi-
 cius,

MORVM PVERILIVM. 19

cies, nec fordibus notabilis, nec luxum aut
lasciviam, aut fastum præ se ferens. Negle-
ctior cultus decet adolescentes, sed citra im-
mundiciam. Indecore quidam interula-
rum ac tunicarum oras aspergine lotij pin-
gunt, aut sinum brachialiaq; indecoro re-
ctorio incrustant, non gypso, sed narium &
oris pituita. Sunt quibus uestis in alterum
latus defluit, alijs in tergum ad renes usque,
nec desunt quibus hoc uideatur elegans.
Ut totum corporis habitum & mundum,
& compositum esse decet, ita decet illum
corpori congruere. Si quid elegantioris cul-
tus dedere parentes, nec te ipsum reflexis
oculis contemplare, nec gaudio gestias,
alijsq; ostentes: nam alterum simiarum, al-
terum pavonum; mirentur alijs, tu te bene-
cultum esse nescias. Quo maior est fortuna,
hoc est amabilior modestia. Tenuioribus in
conditionis solatium concedendum est, ut
moderate sibi placeant. At diues ostentans
splendorem amictus, alijs suam exprobrat
miseriam, sibiq; conflatur inuidiam.

Bb 2 De

DE MORIBVS IN
 TEMPLO.

Quoties fores templi præteris nudato caput, ac modice flexis genibus, & ad sacra uerso uultu, Christum diuosq; salutato. Idem & aliâs faciendum, siue in urbe, siue in agris, quoties occurrit imago crucis. Per ædem sacram ne transieris, nisi simili religione saltem breui precatiuncula Christum appelles, idq; reiecto capite, & utroque genu flexo. Cum sacra peraguntur, totum corporis habitum ad religionem decet componere. Cogita illic præsentem Christum cum innumeris angelorum milibus. Et si qui regem hominem alloquiturus circumstante procerum corona, nec caput aperiat, nec genu flectat, non iam pro rustico, sed pro infano haberetur ab omnibus: quale est illic apertû habere caput, erecta genua, ubi adest rex ille regum immortalis & immortalitatis largitor, ubi uenerabundi circumstant ætherei spiritus. Nec refert, si eos

non

MORVM PVERILIVM. 21

non uides, uident illi te, nec minus certum est illos adesse, quàm si uideres eos oculis corporeis. Certius enim cernunt oculi fidei, quàm oculi carnis. Indecentius etiam est quod quidam in templis obambulāt, & peripateticos agunt. Atqui deambulationibus porticus & fora conueniunt non templa, quæ sacris concionibus, mysterijs, ac deprecationi dicata sunt. Ad concionantem spectent oculi, huc attentæ sint aures, huc inhiat animus omni cum reuerētia, quasi non hominem audias, sed deum per os hominis tibi loquentem. Quum recitatur Euangelium assurge, & si potes ausculta religiose. Quum in symbolo canitur, & homo factus est, in genua procūbe, uel hoc pacto te submittes in illius honorem, qui semet pro tua salute, quum esset supra omnes cœlos demisit in terras, quū esset deus, dignatus est homo fieri, ut te faceret deum. Dum peraguntur mysteria, toto corpore ad religionem composito ad altare uersa sit facies, ad Christum animus. Altero genu terram contin-

non

Bb 3 gere,

22 DE CIVILITATE OM

gere, erecto altero cui laeuis innitatur cubi-
tus, gestus est impiorum militum, qui do-
mino Iesu illudentes dicebant: Ave rex Iu-
daeorum. Tu demitte utrūq; reliquo etiam
corpore nō nihil inflexo ad uenerationem.
Reliquo tempore aut legatur aliquid è li-
bello, siue preclarum, siue doctrinae salutaris,
aut mens coeleste quippiam meditetur.
Eo tempore nugas obgannire ad aurem uis-
cini, eorum est, qui non credunt illic adesse
Christum: huc illuc circumferre uagos ocu-
los, amentium est. Existima te frustra tem-
plum adisse, nisi inde melior discesseris, pu-
riorq;.

DE CONVIVIIS.

In conuiujs adsit hilaritas, absit petulan-
tia: non nisi lotus accumbe, sed ante praes-
entis unguibus, ne quid in his hareat fordis-
um, dicarisq; *ὑποκόνη δὲ*, ac prius clam
reddito lotio, aut si res ita postulet, exone-
rata etiam alio; & si forte strictius cinctum
esse

MORVM PVERILIVM. 23

esse contingat, aliquantulum relaxare uin-
cula consultū est, quod in accubitu parum
decore fiat. Abstergens manus, simul abijce
quicquid animo ægre est. Nam in conuiuio
nec tristem esse decet, nec contristare quen-
quam. Iustus consecrare mensam uultum
ac manus ad religionem componito, spe-
ctans aut conuiuij primarium, aut si fors
adeft, imaginem Christi, ad nomen Iesu, ma-
trisq; uirginis, utrunq; flectens genu. Hoc
muneris si cui alteri delegatum fuerit, pari
religione tum auscultato, tum respondeo.
Sedis honorem alteri libenter cede, & ad
honoratiorem locum inuitatus, comiter
excusa: si tamen id crebro serioq; iubeat
aliquis autoritate præditus, uerecunde ob-
tempera, ne uideare pro ciuili præfractus.
Accumbens utranq; manum super men-
sam habe, non coniunctim, nec in quadra.
Quidam enim indecore, uel unam, uel am-
bas habent in gremio. Cubito uel utroque
uel altero inniti mensæ, senio morboue lassis
condonatur, idem in delicatis quibusdam

Bb 4 aulicis

24 DE CIVILITATE OM

aulicis, qui se decere putant, quicquid agunt, dissimulandum est non imitandum. Interea cauendum, ne proxime accumbenti cubito, neu ex aduerso accumbenti pedibus sis molestus. In sella uacillare & nunc huic nunc alteri nati uicissim insidere, speciem habet subinde uentris flatum emittentis, aut emittere conantis. Corpus igitur æquolis bramine sit erectum. Mantile si datur, aut humero sinistro, aut brachio læuo imposito. Cum honoratioribus accubiturus, capite pexo, pileum relinquito, nisi uel regionis mos diuersum suadeat, uel alicuius auctoritas præcipiat, cui non parere sit indecorum. Apud quasdam nationes mos est, ut pueri stantes ad maiorum mensam capiãt cibum extremo loco, reiecto capite. Ibi ne puer accedat nisi iussus, ne hæreat usq; ad conuiuii finem, sed sumpto quod satis est, sublata quadra sua, flexo poplite salutet conuiuias, præcipue qui inter conuiuias est cæteris honoratior. A dextris sit poculum & cultellus escarius rite purgatus, ad læuam panis.

Panem

MORVM PVERILIVM. 25

Panem una uola pressum, summis digitis re-
fringere, quorūdam aulicorum delicias esse
finito, tu cultello seca decenter, non undiq̃
reuellens crustum, aut utrinq̃ resecaus: de-
licatorum hoc est. Panem ueteres in omni-
bus conuiujs ceu rem sacram religiose tra-
ctabant, unde nunc quoq̃ mos relictus est,
eum forte delapsum in humum exosculari.
Conuiuium statim à poculis auspicari po-
torum est, qui bibunt, non quod sitiant, sed
quod soleant. Nec ea res solum moribus est
inhonesta, uerum etiam officit corporis ua-
letudini. Nec statim post sumptam ex iure
offam bibendum, multo minus post lactis
esum. Puerō sæpius quàm bis, aut ad sum-
mum ter in conuiuio bibere, nec decorum
est, nec salubre. Semel bibat aliquandiu pa-
stus de secundo missu, præsertim sicco: dein
sub conuiuij finem, idq̃ modice sorbendo,
non ingurgitando, nec equorum sonitu.
Tum uinū, tum ceruisia nihilo minus quàm
uinum inebrians, ut puerorum ualetudi-
nem lædit, ita mores dedecorat. Aqua fer-

Bb 5 uidaæ



26 DE CIVILITATE OM

uidæ conuenit ætati, aut si id non patitur siue
 ue regionis qualitas, siue alia quæpiam caus
 sa, tenui ceruisia utitor, aut uino nec ardenti,
 & aqua diluto. Alioqui mero gaudentes
 hæc sequuntur præmia, dentes rubiginosi,
 genæ defluentes, oculi lusciosi, mentis stu
 por, breuiter senium ante senectam. Antea
 quàm bibas præmande cibum, nec labra
 admoueas poculo, nisi prius mantili aut lin
 teolo absterfa, præsertim si quis suum pocu
 lum tibi porrigit, aut ubi de communi bibis
 tur poculo. Inter bibendum intortis oculis
 alios intueri illiberale est, quemadmodum
 & ciconiarum exemplo ceruicem in ters
 gum reflectere, ne quid hæreat in imo cyas
 tho, parum est liberale. Salutantem poculo
 resalutet comiter, & admotis labris cyatho
 paululum libans bibere se simulet: hoc ci
 uili nugoni satis erit. Qui si rusticus uiges
 at, polliceatur se tum responsurum, quum
 adoleuerit. Quidam ubi uix bene confede
 rint, mox manus in epulas conijciunt. Id lu
 porum est, aut eorum qui de chytropode
 carnes

MORVM PVERILIVM. 27

carnes nondum immolatas deuorant, iuxta
 prouerbum. Primus cibum appositum ne
 attingito, non tantū ob id quod arguit auis
 dum, sed quod interdū cum periculo cōiun-
 ctum est, dum qui feruidum inexploratum
 recipit in os, aut expuere cogitur, aut si de-
 glutiat adurere gulā, utroq; ridiculus æque
 ac miser. Aliquantisper morandum, ut puer
 assuescat affectui temperare. Quo consilio
 Socrates ne senex quidem unquam de pri-
 mo cratere bibere sustinuit. Si cum maio-
 ribus accumbit puer, postremus nec id nisi
 inuitatus manum admoueat patinæ. Digi-
 tos in iussulenta immergere agrestium est,
 sed cultello fuscinaue tollat quod uult; nec
 id ex toto eligat disco, quod solent ligurito-
 res, sed quod forte ante ipsum iacet sumat;
 quod uel ex Homero discere licet, apud
 quem creber est hic uersiculus,

οἱ δὲ ἐκ ὀνειῶθ' ἐτοῖμα πρὸ κειμῶα χεῖρας ἰαλλοῦ

Id quoq; si fuerit insigniter elegans, al-
 teri cedat, & quod proximum est accipiat.

Vt

28 DE CIVILITATE OM

Vt igitur intemperantis est in omnes pati-
nae plagas manum mittere, ita parum deco-
rum patinam invertere, quo ueniant ad te
lautiora. Si quis alius cibum porrexerit ele-
gantiorum, praefatus excusatiunculam reci-
piat, sed resecta sibi portiuuncula, reliquum
offerat ei qui porrexerat, aut proxime assis-
denti communicet. Quod digitis excipi
non potest, quadra excipiendum est. Si quis
est placenta uel artocrea porrexit aliquid co-
cleari, aut quadra excipe, aut cocleare por-
rectum accipe, & inuerso in quadram cibo,
cocleare reddito. Si liquidius est quod datur
gustandum sumito, & cocleare reddito, sed
ad mantile extersum. Digitos unctos uel
ore praelingere, uel ad tunicam extergere
pariter inciuile est, id mappa potius aut
mantili faciendum. ^{ganus & diffin} Integros bolos subito
deglutire ciconiarum est, ac balatronum. Si
quid ab alio fuerit resectum, inciuile est ma-
num quadramue porrigere, priusquam ille
structor offerat, ne uideare praeripere, quod
alteri paratum erat. Quod porrigitur aut
tribus

*quod datur
et carum sic porri
autore castro populo*

msb

MORVM PVVERILIVM. 29

tribus digitis, aut porrecta quadra excipiendum. Si quod offertur non congruit stomacho, caue ne dixeris illud comici Clitophonis, non possum pater, sed blande agito gratias. Est enim hoc urbanissimum recusandi genus. Si perstat inuitator, uerecunde dicito aut non conuenire tibi, aut te nihil amplius requirere. Discenda est à primis statim annis secandi ratio, non supersticiosa, quod quidam faciunt, sed ciuilis & commoda. Aliter enim inciditur armus, aliter coxa, aliter ceruix, aliter cratis, aliter capus, aliter phasianus, aliter perdix, aliter anas, quae de re sigillatim praecipere, ut prolixum sit ita nec operae precium. Illud in uniuersum tradi potest, Apitiorum esse omni ex parte, quicquid palato blanditur abraderere. Abs te semesa alteri porrigere, parum honesti moris est. Panem praeosum iterum in ius immergere rusticanum est. Sicut & cibum mansum faucibus eximere, & in quadram reponere, inelegans est. Nam si quid forte sumptum est, quod deglutiri non expedit,
clam

30 DE CIVILITATEM

clam auersus aliquò proijciat. Cibum am-
besum aut ossa semel in quadram seposita
repetere, uicio datur. Ossa, aut si quid simile
reliquum est, ne sub mensam abieceris, pa-
uimentum conspurcans, nec in mensæ stra-
gulam proijce, nec in patinam repone, sed
in quadrae angulum sepone, aut in discum
qui apud nonnullos reliquijs excipiendis
apponitur. Canibus alienis de mensa por-
rigere cibum, ineptiae tribuitur; ineptius est
illos in conuiuiò contrectare. Qui puta-
men digitorum unguibus aut pollice repur-
gare ridiculum est; idem inserta lingua fa-
cere magis etiam ridiculum, cultello id fit
decetius. Ossa dentibus arrodere caninum
est, cultello purgare civile. Tres digiti salino
impressi, uulgarè ioco dicuntur agrestium
insignia. Cultello sumendum est salis quan-
tum satis est. Si longius abest salinum, por-
recta quadra petendum est. Quadram aut
patinam cui saccharum aut aliud suaue quid-
dam adhæsit, lingua lambere felium est,
non hominum. Carnem prius minutim in
quadra

MORVM PVERILIVM. 31

quadra diffecet, mox addito pane simul ali-
quandiu mandat, priusquam trañciat in sto-
machum. Id non solum ad bonos mores,
uerum etiam ad bonam ualeitudinem per-
tinet. Quidam deuorant uerius quam edūt,
non aliter quam mox, ut aiunt, abducendi
in carcerem. Latronum est ea tuburcinas-
tio. Quidam tantum simul in os ingerunt,
ut utrinque ceu folles tumeant buccæ, alij
mandendo diductu labiorum sonitū ædunt
porcorum in morem. Nonnulli uorandi stu-
dio, spirant etiam naribus, quasi præfocan-
di. Ore pleno uel bibere, uel loqui nec ho-
nestum est, nec tutum. Vicissitudo fabula-
rum interuallis dirimat perpetuum esum.
Quidā citra intermissionem edūt bibuntūe,
non quod esuriāt sitiantūe, sed quod alioqui
gestus moderari non possunt, nisi aut sca-
bant caput, aut scalpant dentes, aut ge-
sticulentur manibus, aut ludant cultello,
aut tussiant, aut screent, aut expuant. Ea res
à rustico pudore profecta nonnullam insa-
niæ speciem habet. Auscultandis aliorum
sermonibus

sermonibus fallendum est hoc tediū, si non datur oportunitas loquendi. Inciuile est, cogitandum in mensa accumbere. Quosdam autem uideas adeo stupentes, ut nec audiant quid ab alijs dicatur, nec se comedere sentiant, & si nominatim appelles, uelut è somno excitati uideantur. Adeo totus animus est in patinis. Inurbanum est oculis circumactis obseruare quid quisque comedat, nec decet in quenquam conuiuiarum diutius intentos habere oculos; inurbanius etiam transuersim hircus intueri, qui in eodem accumbunt latere; inurbanissimum, retorto in tergum capite contemplari, quid rerum geratur in altera mensa. Effutire si quid liberius inter pocula dictum factumue sit, nulli decorum est, nedum puero. Puer cum natu maioribus accumbens nunquam loquatur, nisi aut cogat necessitas, aut abs quopiam inuitetur. Lepide dictis modice arrideat, obscœne dictis ne quando arrideat, sed nec frontem contrahat si præcellit dignitate qui dixit, sed ita uultus habitum temperet,

MORVM PVERILIVM. 33

temperet, ut aut non audisse, aut certe non intellexisse uideatur. Mulieres ornat silentium, sed magis pueritiam. Quidam respondent priusquam orationem finierit qui compellat, ita saepe fit, ut aliena respondens sit risui, detque ueteri locum prouerbio, ^{παρὰ τὸ γαστήριον} ἀμαρῆς ἀποκρίσθαι. Docet hoc rex ille sapientissimus, stultitiae tribuens respondere priusquam audias, non audit autem qui non intellexit. Si minus intellexit percontantem, paulisper obticescat, donec ille quod dixit sponte repetat. Id si non facit, sed responsum urget, blande ueniam praefatus puer, oret ut quod dixerat dicat denuo. Intellecta percontatione, paululum interponat morae, deinde tum paucis respondeat tum iucunde. In conuiuio nihil effutiendum, quod offuscet hilaritatem. Absentium famam ibi laedere piaculum est. Nec cuiquam illic suus refrigerandus est dolor. Vituperare quod appositum est, inciuilitati datur, & ingratum est conuicatori. Si de tuo praebetur conuiuium, ut excusare tenuitatem apparatus urbanum,

Cc ita



34 DE CIVILITATE

ita laudare aut commemorare quanti con-
 stiterint, insuaue profecto cōdimentum est
 accumbentibus. Denic̄ si quid à quoquam
 in conuiuio fit rusticius per imperitiam, ci-
 uiliter dissimulandum potius quàm irriden-
 dum. Decet computationem libertas. Tur-
 pe est, sub dium, ut ait Flaccus, rapere, si
 quid cui super coenam excidit incogitanti-
 us. Quod ibi fit dicitur ^{o. Si uis uisus rariu pota p m} uino inscribendū,
 ne audias, *μισῶ μνάμδνα συμποταρ*. Si con-
 uiuium erit quam pro puerili ætate prolaxi-
 us, & ad luxum tendere uidebitur, simul
 atq; senseris naturæ factum satis, aut clam,
 aut ueniam precatus te subducito. Qui pue-
 rilem ætatem adigunt ad inediã, mea quis-
 dem sententia insaniunt, neq; multo minus
 ij qui pueros immodico cibo diffarciunt.
 Nam ut illud debilitat teneri corpusculi uis-
 rículas, ita hoc animi uim obruit. Modera-
 tio tamen statim est discenda. Citra ple-
 nam saturitatem reficiendum est puerile
 corpus, magisq; crebro quàm copiose. Qui-
 dam se saturos nesciunt, nisi dum ita disten-
 tus est

MORVM PVERILIVM. 35

tus est uenter, ut in periculum ueniant
ne dirumpatur, aut ne per uomitum reiiciat
onus. Oderunt liberos qui illos etiamnum
teneros coenis in multam noctem produ-
ctis perpetuo sinunt assidere. Ergo si sur-
gendum erit à prolixiore conuiuio, quas-
dam tuam cum reliquijs tollito, ac salutato
qui uidetur inter conuiuas honoratissimus,
mox & alijs simul, discedito, sed mox reditu-
rus, ne uideare lusus aut alterius parum ho-
nestæ rei gratia te subduxisse. Reuersus mi-
nistrato si quid opus erit, aut reuerenter
mensę assistito, si quis quid iubeat expectās.
Si quid apponis aut submoues, uide ne cui
uestem iure perfundas. Candelam emun-
cturus, prius illam è mensa tollito, quodq̃
emunctum est, protinus aut harenæ im-
mergito, aut solea proterito, ne quid ingrati
nidoris offendat nares. Si quid porrigis
infundis, leua id facias caueto. Iustus age-
re gratias, compone gestus, paratum te
significans donec silentibus conuiuis di-
cendi tempus adfuerit. Interim uultus ad

Cc 2 conuiuio

conuiuio præfidentem reuerenter uersus sit
& constanter.

DE CONGRESSIBVS.

Si quis occurrerit in uia, uel senio uenerandus, uel religione reuerendus, uel dignitate grauis, uel alioqui dignus honore, meminert puer de uia decedere, reuerenter aperire caput, non nihil etiam flexis poplitibus. Ne uero sic cogitet, quid mihi cum ignoto, quid cum nihil unquam bene de me merito? Non hic honos tribuitur homini, non meritis, sed deo. Sic deus iussit per Solomonem, qui iussit assurgere cano: sic per Paulum qui presbyteris duplicatum honorem præcipit exhibere, in summa, in omnibus præstare honorem quibus debetur honos, complectens etiam ethnicum magistratum: & si Turca, quod absit, nobis imperet, peccaturi simus si honorem magistratui debitum illi negemus. De parentibus interim nihil dico, quibus secundum deum primus debetur

MORVM PVERILIVM. 37

debetur honos. Nec minor præceptoribus, qui mentes hominum, quodammodo dum formant, generant. Iam & inter æquales illud Pauli locum habere debet, honore inuicem præuenientes. Qui parem aut inferiorem honore præuenit, non ideo fit ipse minor, sed ciuilior, & ob id honoratior. Cum maioribus reuerenter loquendum & paucis, cum æqualibus amanter & comiter. Inter loquendum pileum laua teneat, dextra leuiter admota umbilico; aut quod decentius habetur, pileum utraque manu iuncta suspensum, pollicibus eminentibus, tegat pubis locum. Librum aut galerum sub axilla tenere rusticius habetur. Pudor adsit, sed qui decoret, non qui reddat attonitum. Oculi spectent eum cui loqueris, sed placidi simplicesq; nihil procax improbumque præ se ferentes. Oculos in terram deijcere, quod faciunt catoblepæ, malæ conscientiae suspitionem habet. Transuersim tueri, uidetur auersantis. Vultum huc illuc uoluere, leuitatis argumentum est. Indecorum est interim

Cc 3 uultum

uultum in uarios mutare habitus, ut nunc
 corrugetur nasus, nunc contrahatur frons,
 nunc attollatur supercilium, nunc distor-
 queantur labra, nunc diducatur os, nunc
 prematur, hæc animum arguunt Protei si-
 milem. Indecorum & illud, concusso capite
 iactare comam, sine causa tussire, screeare,
 quemadmodum & manu scabere caput,
 scalpere aureis, emungere nasum, demulce-
 re faciem, quod est ueluti pudorem abster-
 gentis, suffricare occipitium, humeros ad-
 ducere, quod in nonnullis uidemus Italis.
 Rotato capite negare, aut reducto accerse-
 re, & ne persequar omnia, gestibus ac nuti-
 bus loqui, ut uirum interdum deceat, puerum
 minus decet. Illiberale est iactare brachia,
 gesticulari digitis, uacillare pedibus, breui-
 ter non lingua, sed toto corpore loqui, quod
 turturum esse fertur, aut motacillarum, nec
 multum abhorrens à picarum moribus. Vox
 sit mollis ac sedata, non clamosa quod est
 agricolarum, nec tam pressa, ut ad aures eius
 cui loqueris non perueniat. Sermo sit non
 præceptus,

MORVM PVERILIVM. 39

præceps, & mentem præcurrens, sed lentus
& explanatus. Hoc etiam naturalem bat-
tarismum, aut hæsitantiam, si non in totum
tollit, certe magna ex parte mitigat, quum
præcipitatus sermo multis uicium conciliet
quod non dederat natura. Inter collo-
quendum subinde titulum honorificum
eius quem appellas repetere ciuilitatis est,
Patris ac matris uocabulo nihil honorifi-
cētius, nihil dulcius, Fratris sororisque nomi-
ne nihil amabilius. Si te fugiūt tituli peculia-
res, omnes eruditi sunt tibi præceptores ob-
seruandi, omnes sacerdotes ac monachi, re-
uerendi patres, omnes æquales, fratres &
amici, breuiter omnes ignoti domini, igno-
tæ dominæ. Ex ore pueri turpiter auditur
iusiurandū, siue iocus sit, siue res seria. Quid
enim turpius eo more, quo apud nationes
quasdam ad tertium quodq; uerbum deie-
rant etiam puellæ, per panem, per uinū, per
candelam, per quid non? Obscœnis dictis,
nec linguam præbeat ingenuus puer, nec
aures accommodet.

Cc 4 inhoneste

40 DE CIVILITATE

inhoneste nudatur oculis hominum, indecenter ingeritur auribus. Si res exigat, ut ali quod membrum pudendum nominetur, circumitione uerecunda rem notet. Rursus si quid inciderit, quod auditori nauseam ciere possit, uelut si quis narret uomitum, aut latrinam, aut oletum, præfetur honorem auribus. Si quid refellendum erit, caue dicat, haud uera prædicas, præsertim si loquatur grandiori natu, sed præfatus pacem, dicat, mihi secus narratum est à tali. Puer ingenuus cum nemine contentionem suscipiat, ne cum æqualibus quidem, sed cedat potius uictoriam, si res ad iurgium ueniat, aut ad arbitrum prouocet. Ne cui se præferat, ne sua iactet, ne cuiusquam institutum reprehendat, aut ullius nationis ingeniũ mos resue suggillet, ne quid arcani creditum euulget, ne nouos spargat rumores, ne cuius obtrectet famæ, ne cui probro det, uitiũ natura insitum. Id enim non solum contumeliosum est & inhumanum, sed etiam stultum, ueluti si quis luscum appellet luscum,

luscum,

MORVM PVERILIVM. 41

scum, aut loripedem loripedem, aut strabum strabum, aut nothum nothum. His rationibus fiet, ut sine inuidia laudem inueniat, & amicos paret. Interpellare loquentem antequam fabulam absoluerit, inurbanum est. Cum nemine similitatem suscipiat, comitatem exhibeat omnibus, per paucos tamen ad interiorem familiaritatem recipiat, eosque cum delectu. Ne cui tamen credat quod tacitum uelit. Ridiculum enim est ab alio silentij fidem expectare, quam ipse tibi non prestes. Nullus autem est adeo linguae continentis, ut non habeat aliquem, in quem transfundat arcanum. Tutissimum autem est nihil admittere, cuius te pudeat si proferatur. Alienarum rerum ne fueris curiosus, & si quid forte conspexeris audieris ue, fac quod scis nescias. Literas tibi non oblatas limis intueri parum ciuile est. Si fors te praesente scrinium suum aperit aliquis, subducito te. Nam inurbanum est inspicere, contrectare aliquid inurbanum. Item si senseris inter aliquos secretius oriri colloquium,

Cc 5 um,

42 DE CIVILITATE

um, submoue te dissimulanter, & in eiusmodi colloquiū ne temet ingeras non accitus.

DE LVS V.

In lusibus liberalibus adsit alacritas, absit peruicacia rixarum parens, absit dolus ac mendacium. Nam ab his rudimentis proficitur ad maiores iniurias. Pulchrius uincit qui cedit contentioni, quā qui palmam obtinet. Arbitris ne reclamita. Si cum imperitioribus certamen est, possisq; semper uincere, nonnunquam te uinci patere, quo ludus sit alacrior. Si cum inferioribus luditur, ibi te superiorem esse nescias. Animi causa ludendum est, non lucri gratia. Aiunt puerorum indolem nusquam magis apparere, quā in lusu. Si cui ad dolos, ad mendaciū, ad rixam, ad iram, ad uiolentiam, ad arrogantiam propensius ingenium, hic emicat naturæ uicium. Proinde puer ingenuus non minus in ludo quā in conuiuio sui similis sit.

De

DE CVBICVLO, 43

In cubiculo laudatur silentium & uerecundia. Certe clamor & garrulitas indecora est, multo magis in lecto. Siue cum exuiste, siue cum surgis, memor uerecundiae: caue ne quid nudes aliorum oculis, quod mos & natura tectum esse uoluit. Si cum sodali lectum habes communem, quietus iaceto, neque corporis iactatione uel teipsum nudes, uel sodali detractis pallijs sis molestus. Priusquam reclines corpus in cervical, frontem & pectus signa crucis imagine, breui precatiuncula temet Christo commendans. Idem facito quum mane primum temet erigis, a precatiuncula diem auspicans. Non enim potes ab omine feliciore. Simul ac exoneraueris aluum, ne quid agas, nisi prius lota facie manibusque, & ore proluto. Quibus contigit bene nasci, his turpe est generi suo non respondere moribus. Quos fortuna uoluit esse plebeios, humiles aut etiam rurestres, his impensius etiam

44 DE CIVILITATE

etiam adnitendum est, ut quod fors inuident, morum elegantia pensent. Nemo sibi parentes aut patriam eligere potest, at ingenium moresque sibi quisque potest fingere. Colophonis uice addam præceptiunculam quæ mihi uidetur propemodum primo digna loco. Maxima ciuilitatis pars est, quum ipse nusquam delinquas, aliorum delictis facile ignoscere, nec ideo sodalem minus habere charuem, si quos habet mores inconditiores. Sunt enim qui morum ruditatem, alijs compensent dotibus. Neque hæc ita præcipiuntur quasi sine his nemo bonus esse possit. Quod si sodalis per inscitiam peccet in eo sanè, quod alicuius uidetur momenti, solum ac blande monere ciuilitatis est.

Hoc quicquid est muneris fili charissime, uniuerso puerorum sodalitia per te donatum esse uolui, quo statim hoc congiario simul & commilitonum tuorum animos tibi concilies, & illis liberalium artium ac morum studia commendes. Præclaram in
dolem

MORVM PVERILIVM. 45

dolem tuam Iesu benignitas seruare digne
tur, semperq; in melius prouehere.

Datum apud Friburgum Bris
goia, Mense Martio,

Anno

M. D. XXX.

LYPSIAE EXCVDEBAT

MICHAEL BLVM, AN

NO M. D. XXX.

MORVM PVERILLVM.

hominum in pinguissimis digne

in scriptis in nichis p. ouere

hunc et d. f. h. u. e. n. d. i. e.

got. Made Man.

Anno

M. D. XXX.

TYPIAB EXCVDEBAT

MICHAEL BLVMAN

NO. M. D. XXX.



DIE CIVIL

IN DER UNIVERSITÄT
VON HALLE

LIBRARY
M. D. C. C. C.



Cl 3506

ULB Halle

3


002 069 016



f
Sh.







Farbkarte #13

B.I.G.

DE CIVILI

2

TATE MORVM PVERILI,
am per DES. ERASMVV RO
TERODAMVM libellus nunc
primum & conditus &
æditus.

L Y P S I A E , A N N O
M . D . X X X .

Johannes ...

At modis in rebus sunt...
uniquos...
hos vena ritag...

